

D E O D U C E  
M E D I T A T I O S . E P I S T O L A E

# DOMINICÆ VII. POST TRINITATIS

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-  
numq; aliquot decisione, ad uberiorem textūs cum opus  
est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia,

P R A E S I D E,

**A E S C H I L L O P E T R A E O**

S.S. Theologiæ Doctore & Episcopo Aboënsi,

Examini subjicit in Auditorio Majori horis solitis

Ad diem 23. Martij Anni 1656.

**J O A N N E S O L A I G A R L E N I U S**

W E S T M A N N U S.

Lyra in hunc locum.

Humanum dico, q. d. hoc est facile & consonum rationi per consuetudi-  
nem etiam talis operatio delectabilis redditur, ut patet ad sensum.

Augustinus in hunc locum.

Liberos dixit iustitia. non liberatos; nunc à peccato non liberos: ne sibi  
hoc tribuant: sed dicant prouidè liberatos: ad sententiam Domini  
Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.

**A B O Æ**

Impressæ à PETRO Hansøn/ Acad, Typog,

*Reverendissimo & Excellentissimo in Christo Patri,  
DN. OLAO LAURELIO,*

S.S. Theologiæ Doctori celeberrimo inclytæ Dioceſeos Aroſi-  
ensis Episcopo longè dignissimo, mecenati ac Promotori ſuo  
magnopere ſuspiciendo, ſummâq; animi reverentia  
æternum obſervando, honorando.

NEC NON

*Venerandis & Praeclariffimis Dñis  
CONSISTORIALIBUS, & Gymnaſij Aroſiēnsis LE-  
CTORIBUS, Promotoribus & fautoribus ſuis quovis oſe-  
quij Zelo jugiter devenerandis.*

UT ET

*Virù Reverendâ Claritate, Pietate, Doctrina & Humanitate conſpicuis  
DN. M. G E O R G I O VVINTROSIO, Utriusq;*

Templi Arbogēnſium Pastorū, nec non circumiacentium Ec-  
clesiārum Præpoſito meritiſſ. promotori & fautori ſuo ſum-  
mo reverentia cultu proſequendo.

*DN. M. JOHANNI MARTINI TOBETIO,*

Scolæ Arb. Rectori Solertiſſ. cognato & benefactori ſuo pro-  
pensiſ. ita magno honoris & amoris studio perpetim colendo.

*DN. LAURENTIO GEORGII, Pastor in Medaſer/*  
doctor meritiſſ. benefactori ſuo plurimum venerando.

*DN. GUSTAVO NICOLAI, Pastor in Hymeta*  
vigilantifs. itidem fautori ſuo indubitatiſſ.

*DN. OLAO Wattman/ Arbogenſium Verbi Divini Com-  
ministro fideliſſimo fautori certiſſimo.*

*DN. LAURENTIO ANDREÆ, Sacellano in Medaſer/*  
Amico ſuo singulariter dilecto,

*Dñs Meſeantibus, promoteribus, fautoribus & benefactoribus ſuis  
honorandis ac colendū. Meditationem hanc Sacram peroffi-  
cioſe & reverenter consecrat, dicat & dedicat.*

*Respondens.*



MEDITATIO S. EPISTOLÆ  
DOMINICÆ VII. POST  
TRINITATIS

Ia Sanctæ & summe Laudandæ Trinitatis, Patris, filii  
& Spiritus Sancti nomine.

**B**EATI IMMACULATI IN VIA; QUI AMBULANT  
IN LEGE DOMINI. BEATI QUI SCRUTANTUR TE-  
STIMONIA EJUS: IN TOTO CORDE EXQUIRUNT  
EUM. NON ENIM, QUI OPERANTUR INI-  
QUITATEM, IN RIJS EJUS AMBULAVERUNT. TU MANDASTI  
MANDATA TUA CUSTODIRI NIMIS. UTINAM DIRIGANTUR  
VIA MEA AD CUSTODIENDAS JUSTIFICATIONES TUAS. TUNC  
NON CONFUNDAR CUM PERSPEXERO IN OMNIBUS MANDATIS  
TUIS. CONFITEBOR TIBI IN DIRECTIONE CORDIS: IN EO QUOD  
DIDICI JUDICIA TUA. JUSTIFICATIONES TUAS CUSTODIAM:  
NON ME DERELINGUAS USQUEQUAG. Psal. 119, v. 1. seq. ad 9.  
Quibus verbis Psalmista incipit magnam & egregiam  
commendationem pietatis sive vitæ & conversationis  
juxta Dei mandata & præcepta, dicens veram beatitudi-  
nem in hoc mundo consistere in observatione legis &  
præceptorum Dei, & quia ita cum timore & tremore ob-  
servant illa, hos vocat immaculatos, non quia ulli ex sua  
natura & industria reperiuntur, omnes enim graviter  
peccant, sed immaculati reputantur in conspectu Dei,  
quia quantum possibile ipsis est annuntiuntur vivere juxta  
Dei voluntatem, & eorum peccata per fidem in Jesum  
recta & cooperta sunt. Afferit & dolet David deinde in his

verbis, quis præceperit ut mandata Dei, tam sedulò & serìo obseruemus? Tu inquit David præcepisti servari tua mandata & quidem serìo & accuratè: non est huma-num tantùm præceptum, ut memores & observatores ac factores simus legis divinæ, sed est Dei Regis Regum & principis principum mandatum. Optat porrò Da-vid gratiam sibi dari servandi Dei mandata, & recto ac debito studio contemplandi Dei statuta, ac inde se per-cipere hunc fructum ait, quòd non confundatur. Tan-dem gratias agit Deo ex toto corde, quod doceat eum su-as justificationes, promittit se etiam divina gratia illi ser-vitum. Ad ejusmodi mandatorum Dei observatio-nem textus jam pro concione tractandus nos invitat.

**O** Remus a. D E U M ut hanc Epistolam ita meditari que-a-mus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmen-tum & incrementum doctrinæ, & bonorum operum, in spem & fiduciam & tandem in æternam beatitudinem. Dicamus igitur: Pater noster &c.

### TEXTUS Rom. 6,

**A** Dhortationem in recitato textu instituit Apo-stolus seriam, ut ejus auditores studeant in posterum virtuti, iustitiæ, & Sanctitati; conqueritur etiam de eis, quod hactenus & antea prædicatum Evangelium, apud eos plantatam religionem Christianam, valde inconsi-deratè & incautè vixerint froena laxantibus pravæ suæ concupiscentiæ & cupiditati & illecebris carnis, quod fecerint membra sua mancipia vitiorum, impuritati, in-justitiæ, ruentes & volutantes se in uno post alterum fla-gitio. Tempus jam esse ait deserendi hanc dissolutam vitam, proponendi sibi ob oculos tenorem mandatorum divi-

divinorum servandi justitiam & sanctitatem ut Sancti redantur. Excusat vero Apostolus se in initio hujus textus, quod conatur ad tales adhortationem jussus tuendam, propter carnalem eorum infirmitatem. Refert quantum incommodum erat ipsis ex priori mala vita & conversatione, quod alieni essent à justitia, vixerunt ita ut jam eos ejusmodi vitae pudeat. Quod etiam obnoxios reddiderint se æternæ morti & damnationi, ostendit frumentum vitae sanctæ, quod futuri sint heredes vitae æternæ, quia tales exitum habet vita honesta & pia. Stipendum peccati, inquit Apostolus, est mors, donum vero Dei est vita æterna per Dominum nostrum JESUM Christum. Admonemur sexti præcepti, nec non totius ferè tabulæ secundæ. Confirmatur fides nostra, quam confitemur in articulo 3:to quod sit vita æterna, & quod Deus eam datus omnibus in Christum credentibus. Excitamus ad orandum: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

P A R T E S

- z. *De damnatio & incommodo vita impudicæ & flagitiæ.*
2. *De commodis, fructu & utilitate vita honestæ, pia & virtuosæ.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter, & simpliciter tractare constituimus. Omnipotens & aeternus Deus, pater noster caelensis dilectissimus nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.

PRIMA PARS

In quæ meditamur.

# I. Apostoli excusationem quod utitur similitudine illa, de servitute & libertate

bertate à peccato & servitute iustitiae. Est autem servitus propriè in rebus humanis & in communi vita, cum unus servit alteri. Fitalterius servus vel in bello captus cogitur servire, vel ut in V. T. propter paupertatem vendiderunt se, de qua servitute. peculiaris lex erat, & adhuc extat, Exod. 21. Relegabantur Judæi in servitutem etiam propter furtum, quando quis furabatur bovem, quinque boves tenebatur reddere pro uno bove si unam ovem furatus esset, quatuor oves reddebat pro una, Exod. 22. Apud nos servitus, non est ita dura & obligata ad unum Dominum & temporis durationem, sed est cum majori libertate conjuncta. Quantum vero ad Apostoli locutionem attinet, quod conferat astum peccandi cum servitute, & motum membrorum ad peccandum, & viceissim, cessationem à peccando conferat cum, libertate, quod ea demum sit vera libertas, cum à peccato cessamus, illud non committentes, sed servimus iustitiae, ita vivimus pro ut Lex Dei præscribit. Quare autem in dehortatione à peccando, & adhortatione ad studendum veritati, utatur vocibus, servitutis & libertatis ; Hoc indicat Apostolus, quando dicit : humanum dico propter infirmitatem vestram carnalem, alias non ita perpenditis foeditatem peccati, & quam misera res sit, nec cogitare potestis, quanta dignitas sit, justè piè & sanctè ad normam legis divinæ mores suos componere. Vult itaq; Apostolus, ut sui auditores æqui boniq; consulant hanc loquendi rationem in dehortatione à peccando à se usurpatam, nec ideo scandalizentur vel indignè ferant Apostolum ita locutum, cum ex bona intentione & propter carnalem eorum infirmitatem, quâ naturam & operationem peccati non ita perpendere possunt.

L, C, Sin-

L. C. Synceri & boni Doctores Ecclesiæ ac verbi Dei ministri, minimè data operâ in Ecclesia scandalizant vel offendunt, ut cum proponūt suis vel adhortationes, vel dehortationes bona habent intentionem & propositum, sicut hoc loco Apostolus dicit, se cogi ad peculia-  
rē phrasin vel modos loquendi satis crassos vel simplices, quamvis posset sublimiorib⁹ uti, & hoc se facere ait, non ad illorum despectum vel contemptum, sed propter eorum commodum & utilitatem ; Eadem mens ac animus idem, omnibus verbi Dei ministris veris & Synceris, omnia conantur facere ad ædificationem vel emendationem, nihil ex affectu privato, odio vel invidia, si enim hoc fecerint, tunc Christi servi non sunt, sicut etiam tunc servi Christi non possunt esse cum placere student hominibus. Boni etiam auditores recte & sincere interpretabuntur conciones suorum ministrorum in partem vis, delicet meliorem, non deteriorem, cogitantes duriuscula verba & loquendi modum, non ita acceptum, sed institui ad commodum suum propter carnalem suam infirmitatem ; Christus in suis conectionibus, varijs similitudinibus & multis utitur ad commodum suorum auditorum, ut testatur Matth. 13. v. 1. 2. 3. Ubi etiam parabola quædam proponitur de quadruplici semine. Idem de Christo dicitur Mar. 4. Luc. 8. David Psal. 34. invitans suos ad timorem Domini, & Legem & Evangelium annunciat, fert judicium de servantibus legem & non servantibus v. 11. 12 usq; ad finem Psalmi.

L. C. 2. Manet in hac vita humana quædam infirmitas in spiritualibus; animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, nec percipere potest, quia spiritualiter dijudicandum, 1. Cor. 2. Discamus nos ipsos probè nosse, ne efferamus nos extra vires nostras, ne glorie-

gloriemur de eruditione nostra, aut alijs donis naturæ, co-  
gitemus nos habere infirmitatem carnalem, à quâ in hac  
vita liberari nequimus; Liberatio ab hac infirmitate  
tunc demum fit, cum liberemur à corpore mortis hujus  
& à pugna legis mentis & legis membrorum, quâ sapè  
impedimur ne faciamus quod volumus Rom. 7. Qui  
stat, videat ne cadat. Humiliemini, inquit S. Petrus,  
sub potenti manu Dei ut vos exaltet suo tempore. Si-  
mus etiam bono animo, non ægrè nimis ferentes carna-  
lem infirmitatem, erit mutatio in melius, qualis muta-  
tio ab Apostolo indicatur. 1. Cor. 13. v. 9. seq. ad 13.

## II. Anteactæ vitæ auditio-

rum Pauli descriptionem. Quomodo vixerunt  
hi auditores Pauli Romani scilicet, id indicat Apostolus  
dicens: Quemadmodum membra vestra exhibuistis ser-  
va impuritatî & injustitiæ, ab una in justitia ad alteram.  
q. d. Apostolus, pudet me vitam vestram ante Evange-  
lij prædicationem latius describere hoc loco, sufficit quod  
eam de pinxerim cap. i. hujus Epistolæ, cum gentium vi-  
tam & mores in communi descripsi. Extat autem illa  
descriptio Rom. 1. v. 18 ad finem capituli. Et Rom. 3. v.  
9. seq. ad 19. Servire & servum alicujus esse, dicit Chri-  
stus hoc requirere Matth. 6. v. 24. Nemo, inquit, po-  
test duobus Dominis servire, aut unum odio habebit &  
alterum, diligit, aut uni adhærebat & alterum negligat  
in quibus verbis Servo hæc duo attribuuntur videlicet di-  
ligere Dominum & adhærere ei constantè sine inter-  
missione & excusatione in exequendis mandatis ejus.  
Sic se habet, vult Apostolus dicere, cum servo peccati;  
homo deditus peccato & pergens in peccando, diligit  
peceatum, ut rem amabilem & optabilem; Deinde

con-

constantē adhāret malo proposito, ita ut currat ad per-  
petrandū illud sine ulla tergiversatione & considera-  
tionē. Tribuuntur homicidis pedes veloces ad effun-  
dendum sanguinem. Rom. 3. ex Prov. 1. v. 16.

L. C. Miserabilis est conditio omnium hominum  
extra Dei Ecclesiam vivētium, pro ut illam Apostolus  
noster etiam pluribus describit, nec non Ecclesiæ felici-  
tatem & prærogativam. Ephes. 2. v. 11. seq. ad finem  
cap. agamus itaq; Deo gratias pro nostra felicitate, quod  
jam simus filij lucis illuminantis per prædicationem ver-  
bi DEI, cuius virtutem & effectum describit Regi-  
us Psalmista David. Psal. 19. v. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & psal.  
119. v. 33. seq. ad v. 41. Dicamus itaq; ex psal. 147. v.  
12. ad finem psalmi.

## SECUNDA PARS

In prima parte vidimus debortationem Apostoli à  
vitijſ ē impura vita; in hac altera parte audiemus  
Paulum adhortantem ad vitam honestam & vir-  
tuti congruam, & quis illius fructus.

In quā meditamur,

I. Descriptionem honestæ  
vitæ, Honestam vitam & Deo placentem, bre-  
vissimè describit Apostolus per servitutem justitiæ, vide-  
licet ut homo exhibeat membra sua serva justitiæ, ut ani-  
ma nostra dirigat membra nostra ad pietatē, cor ad dili-  
gendum verum Deum, non idola linguam ad laudandum  
Deum, oculos ad contemplationem operum Dei, aures  
ad audiendum verbum Dei &c. Atq; hic utsus horum

membrorum est rectus & bonus, & spiritualis usus, qui non  
impedit horum membrorum usum naturalem. Sic etiam  
Christus de scandalo cavendo loquitur, eruendum  
esse oculum, pedem abscindendum & manum si offen-  
diculo sit alicui, intelligit spiritualem oculi effosionem  
& reliquorum membrorum abscissionem, non corpo-  
ralem, siquidem hoc esset contra proceptum quintum  
quod prohibetur occisionem vel damnum inferre cor-  
pori sive proprio sive alieno. Diligendus proximus,  
cujus amoris mensura debet esse dilectio vel sui ipsius  
amor. Quare per oculi effosionem intelligitur quo-  
dam cohibitio oculi & visus, ne videant vanitatem, sint  
coeci ad illam, manus abscissae ad leedendum proximum  
Matth. 18. v. 7. 8. 9. Apostolus hanc corporis coerci-  
tionem & castigationem, crucifixionem membrorum  
& subaktionem cum concupiscentijs & cupiditatibus  
vocat. 1. Cor. 9.

L. C. Consideranda membra nostra quod sunt  
bonæ creaturæ Dei, quibus carere minimè possumus,  
quantumcunq; vilia sint, imò illa quæ minus videntur  
honorabiliora, non tamen sine honore sinimus esse ut  
ait Apostolus: videndum proinde, ut membra nostra ad-  
hibeantur ad illa opera & functiones, ad quas nobis in  
creatione data & concessa. Orandus vero Deus, ut oce-  
lorum nostrorum velit esse custos, ita David orat Psal.  
119. v. 17. 18. 37. 81. 82. 123. 136. De manibus loquitur ibi-  
dem v. 48. De lingua ibid. v. 15. 26. 27. 46. 97. 172. De  
pedibus v. 30. 31. 32. 35. 57. 60. 101. 105. De lingua & o-  
culis loquitur Syrach cap. 23. v. 1. seq. ad v. 13.

L. C. 2. Non excusat hominem abutentem  
membris suis, quod ipsem homo abutens suis mem-  
bris, inde dedecus & damnum habet, quod haec sit poena  
satis

satis magna: Sed etiam Deus ipse dator & formator, ille requirit rationem usus vel abusus membrorum nostrorum; Non enim sumus Domini corporis & membrorum nostrorum, sed is qui dedit illa nobis, vocatur corpus nostrum cum omnibus suis membris templum Spiritus S. quā de re Apostolus i. Cor. 6. differit v. 9. seq. ad finem capitū.

## II. Egregium honestæ vitæ

nomen & titulum. Exhibete, inquit Apostolus, vestra membra serva justitiae, ut sint sancta. Sanctum dicitur, quod est Deo consecratum, Deo acceptum, ideoq; purum, mundum & impollutum. Talis sanctitas quidem non conceditur homini in hac vita, Christo excepto infecti sumus peccato & macula illa originali Psal. 51. Ecce in iniuitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea; interim sanguinis Christi meritò consequimur sanctitatem perfidem. Agnus Dei tollit peccata mundi. Joh. 1. Sangvis Jesu Christi filii Dei mundat nos ab omni iniuitate.

L. C. Sit studium nostrum, ut hoc titulo ornemur sicuti ad hunc titulum vocati & redempti sumus à Christo. Ita S. Petrus 1. pet. 2. v. 1. seq. ad v. 10. Oremus ut Deus per spiritum suum sanctum induat nos sanctitate; oremus pater noster qui es in cœlis, dimitte nobis debita nostra. Ubi est remissio peccatorum, illic est vita & justitia. Optat Apostolus liberari à corpore peccati, ut sit sanctus, Rom. 7. Cupit disolvit sit cum Christo, in perpetua sanctitate, in jucunda conversatione in cœlis, in qua omnes sunt sancti. Hoc quotidie

Ecogitemus & sanctitati studeamus, non laboran-  
dum ut divites simus, ut honoribns excellamus,  
sed ut sancti simus opera danda. Dives epulo stu-  
dium sanctitatis contempsit, ventris tantummo-  
dò curam habens, sed quo exitu? horrendo plane  
evigilavit post mortem in inferno in flamma, &  
cruciatus maximo, nullam inveniens consolatio-  
nem, vel ab Abraham vel à Lazaro. Dives ille  
**Luc. 12,** sollicitus de horreis majoribus & fru-  
mento congerendo, sanctitatem vitæ nihili fecit  
morte opinione celerius præventus, iacturam fe-  
cit animæ, de sanctitate non sollicitus. Eiici-  
tur ex Regiis nuptijs, veste nuptiali non in-  
dutus.

**III. Honestæ vitæ conse-**  
guens sive præmium. *Habetis, inquit Apostolus*  
fructum qui honestæ vitæ studetis optimum. *E con-*  
*trario vero servientes peccato, destituuntur justitia,*  
cum eos pudet eorum quæ prius commiserunt, mors  
est finis malæ vitæ, mors æterna: verum vitæ san-  
ctæ finis est vita æterna, *Et hoc quidem non ex ope-*  
*rum nostrorum perfectione* *Et sanctitate propria no-*  
*stra, sed ex imputata Christi sanctitate, ideo dicit*  
*Apostolus: stipendum peccati mors, sed vita æterna est*

donum

donum DEi per IESUM Christum; quasi dicat Apostolus, peccata quidem nostra abunde merentur aeternam mortem, ubi nullus defectus mereatur plenum stipendium, sicuti miles expediens quae sunt sui munieris, ad plenum exigit integrum promissum stipendum, ita qui militat hanc pessimam militiam, vivendo in peccatis, dignus est aeterna morte & damnatione, impletur illi mensuram peccatorum suorum, & impletur eis mensura poeniarum. Dicit Apostolus de vita aeterna, quod sit donum DEI, sine nostris meritis & ulla dignitate, interim ut addit Apostolus donatur hoc donum per IESUM Christum interveniente ejus morte & meritis. Etsi itaque vita aeterna vere sit donum & quidem gratuitum respectu nostri, tamen respectu Dei pretium datum est maximum pro consecutione hujus aeternae vitae. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filiam suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non perireat sed habeat vitam aeternam. Nominat Apostolus Christum Dominum nostrum, non solum quia cum patre & spiritu S. nos creavit, sed quod redemit nos, sicuti Lutherus in explicatione 2<sup>di</sup> Articuli dicit, est meus Dominus qui me perditum & damnatum hominem redemit a potestate Diaboli & aeterna damnatione, non auro & argento, sed pratiose suo sanguine.

L. C. Quia peccatum, impia & flagitiosa vita tam horribile habet stipendum, vide-  
licet æternam mortem ac damnationem, quæ quam horribilis sit Luc. 16. à Christo indicatur,  
de qua etiam dives epulo conqueritur; Et alibi dicitur: illic est ignis, stagnum ardens sulphure  
& igne, ignis æternus, vermis nunquam moriens tenebræ exteriores unde nulla redemptio ut-  
tique peccatum fugiendum ut etiam Syrach monet cap. 21, v. 1, seq, ad v. 5. Quia honesta  
vita tam favorem & optatum habet exitum, illa cum primis eligenda, ut etiam monet Syrach,  
cap. 17, v. 16, seq. ad finem.

Clementissime Deus pater coeli & terræ peccatis servire nullum nobis adfert commodum, immo dedecus  
& confusionem, & tandem æternam mortem, praesta quæsumus gratiam ut juxta tuam legem, sicuti  
debitores sumus, vitam instituamus, & membra nosstra hanc præbeamus ad serviendum peccatis sed tibi,  
ut dones nobis per IESUM Christum vitam æternam. Amen.

Benedictio & claritas, & sapientia & gratiarum actio, &  
honor & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculo-  
rum. Amen. Apocal. 7: 12.

QUÆ-

# QUÆSTIONES.

I.

An peccata verè remissa illi  
qui moriuntur, quia Aposto-  
lus dicit mortem esse stipen-  
dium peccati? Resp.

Alia est ratio mortis, alia aliasrum calamita-  
tum in hac vita. Mors per se semper est poena pec-  
cati. Mors autem aeterna in remissione peccatorum  
credentibus in Christum penitus sublata est, juxta  
illud Job. 22. v. 25. Qui credit in me, etiam si  
mortuus fuerit, vivet. Mors temporalis manet  
etiam si in credentibus, quia materiale peccati in il-  
lis manet, quod quando è natura penitus evelletur,  
tunc & mors tanquam postremus hostis, abolebitur  
z. Cor. 25: Etsi verò per se poena est, in credentibus  
tamen poenæ locum propriè non habet quia  
non infligitur à Deo irato, neq; cedit in malum fi-  
nem, sed in commodum fidelium, quorum corpora per  
mortem expoliuntur, & id quod mortale in ipsis est,  
exuentia immortalitatem induunt, & ad aeternam

vitam

vitam transitum accipiunt. Calamitates aliae in fidelibus aliud habent finem, his enim immituntur, vel ut probatio fidei, vel ut paterna castigatio in salutem piorum.

II.

An Deus Author mortis  
quia est Author poenæ? Resp.

Deus non est Author mortis, ratione Creationis, quia mortem non fecit, ut Sapiens loquitur: quicquid enim à Deo creatum est, id natura sua bonum est, & conservationi hominum inservit: Mors autem est destrucción naturæ; Ergo neq; creatæ neq; creature alijs concreata, sed ex invidia Diaboli in mundum ingressa: Deum enim hominem fecit inextirpabilem, Sap: 2. v. 23. Est tamen mors à Deo ordinationis atque dispositionis Divinae, qua nimis Deo placuit, hominem à se deficiētē punire, vi primæ interminationis: quocunq; die comederis de ligno scientia boni & mali, morte morieris: quo respectu Syracides scripsit,

cap. 40. v. 9.

